

Johann Jacob Döbel

**Programma Quo Gloriosissimam Christi Triumphatoris Resurrectionem Rector
Universitatis Rostochiensis Joannes Jacobus Döbelius, Med. D. P.P. Poliater, &
Facultatis suae p. t. Decanus, Civibus Academicis, devota animi veneratione,
serio seduloq[ue] colendam proponit**

Rostochii: Kilius, 1669

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735671826>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA

Quo

Gloriosissimam

CHRISTI TRI-
UMPHATORIS

RESURRECTIONEM

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

JOANNES JACO-
BUS DÖBELIUS,

Med.D.P.P. Poliater, & Facultatis

suæ p. t. DECANUS,

CIVIBUS ACADEMICIS,

devotâ animi veneratione,

seriò seduloq; colendam proponit.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr. 1669.

117.

2

Handwritten signature



ΜΕΡΟΗ Ὁ ΧΡΙΣΤΟΣ,
SURREXIT CHRISTUS; prima hodie vox Angeli est, mulieres, querulè Servatorè quæretes, solantis, ΗΓΕΡΟΗ Ὁ ΧΡΙΣΤΟΣ, SURREXIT CHRISTUS; prima hodie vox Christiani est, fratrem apud Græcos salutantis, & ΟΝΤΩΣ Η-

ΓΕΡΟΗ, VERE SURREXIT, prima vox est resalutantis. David, quando, cæsis Philistinorum turmis, de hostibus triumpharet, filix Sionis cantilantes, insigni plausu reducebant Victorem. Victore nostro ex mortuis reviviscente, universa meritò Ecclesia lætant aliquod RESURREXIT in clamat. MAURITIUS, Belgarū Dux, ex durissimo, adversum Hispanos prælio, acie diruptâ, biduum desideratus, biduum pro mortuo habebatur: Sed, quanto defensionandis erat gaudio, postquam re ipsâ esse verum sentiebant, quod defensoris de se nomen præbebat, MARS VIVIT. Vivit, qui pro nobis, mortis reis, mortuus erat; nec ipse tantum

tum vivit, sed & morte sua mortem vicit. Introierat
in mundum per peccatum mors, cum hac pugnandum
nobis erat; sed peccaveramus omnes, unde omnes
jubebamur mori. Rejeceramus à nobis Deum condito-
re nostrum: fas erat, uti adversario nostro Diabolo subji-
ceremur. Misertus nostri Filius DEI descendebat de cœ-
lis, sed & ipse, vitæ Dux, à morte nos redempturus, du-
cebatur ad mortem. Ablata olim erat in horto vita,
& jam sepeliebatur in horto: ohe! nunc omnis simul
nostra spes erat sepulta! utq; nunquam eadem resusci-
taretur, lapide sepulchrum obsignabatur. Sed pro-
pria hodie virtute vita revixit, resurrexit gloriose: par-
est, uti restituta sibi, in sui locum reponat mortem.
Athleta interdum, cum adversarium se prostravisse putat,
tum demum lethalem accipit plagam: vicisse mors
omnes hactenus nos videbatur, jam victa ipsa jacet
atq; sepulta. Qui cibum accipiunt, quem retinere
non possunt, etiam, quem ante comederant, propter
illum revomunt: Acceperat mors, quod corrup-
pere corpus non poterat, rejicere ergo tenetur omnia
corporis istius membra, hactenus prehensa. *Ubi nunc
est stimulus tuus mors? absorpta est mors in victoriam;*
*DEO sit gratia, qui NOBIS dat victoriam, per Domi-
num nostrum JESUM CHRISTUM! Nunc pridem
mortui ex tumulis resurgunt: æternam premendi servi-
tute, in libertatem afferuntur: vinculis perpetuis*
strin-

stringendi, exsolvuntur: patriæ restituantur, qui eam
perdiderant: omnes nos vivimus hâc unâ morte, peri-
turi omnes sine hâc morte. Neq; sufficit vicisse mor-
tem, Diabolus quoq; erat debellandus, & iis ipsis qui-
dem, quibus ipse orbem debellaverat, armis. Pecca-
tum est, quô cælo hominem avulserat; Peccatû est quo
restituit hominẽ cælo. Decerpserat, instinctu Satanæ,
homo de arbore cognitionis vetitâ, & præcipitabatur
in infernum: sed jam roserat Satanæ arborem sibi veti-
tam, in quâ omnes scientiæ thesauri latent, & restituere
cogitur, quos inique à Deo seduxerat, ipse hodie ca-
ptivus tenebrarum catenis ducendus. *Quis jam intren-
sabit crimina adversus electos DEI? DEUS est, qui ju-
stificat: quis ille, qui condemnet? CHRISTUS est, qui
mortuus est, in dõ qui resurrexit, qui morti venenum
est, inferno pestis.* Dixerat Caiphas: expedit nobis, ut
unus moriatur pro populo, & non tota Gens pereat:
& in hoc quidẽ non falsus erat, sed impius vates. Periisset
non unus tantum Israël's populus, sed hominum gens
universa. Sed verò, condemnabas justû Caipha, uti in-
terficeretur, non respiciens hominũ salutem, quin po-
tius injustissimẽ veritatẽ opprimebas, salutẽ perdebas,
vitam extinguebas, Deum affligebas, Messia occidebas.
Partibus ejus singulis singulare tormentum confere-
bas, caput vepribus perforabas, capillos vellebas, faci-
em sputis colaphisq; defœdabas, oculos spectaculis
mœ-

mœstissimis cruciabas, aures probris saturabas, nares
foetoribus afficiebas, corpus funibus extensum, flagris
concidebas, manus pedesq; transfodiebas, lin-
guam aceto, felle, ac fiti vexabas, neq; ulla corporis
pars dolorū videretur vacua, ipsū deniq; cor lāce tere-
brabas: ast quid omne hoc conamen Caipha? resurre-
xit perdēd⁹ ille gloriose, tum miserè peris. Perfidissimi ju-
dæorū, perseverantiā Servatoris, in speciem non levi
argumento, tentantes, *sc. Rex Israël est*, inquit, *descen-
dat nunc de cruce, & credimus ei. Alios salvos fecit, sei-
psum salvum faciat, si est CHRISTUS, electus DEI.*
Sed, quòd esset electus DEI, non descendit de cruce,
qui venerat, uti crucem sustineret. Longè glo-
riofius est, lapide ad monumentum apposito, mor-
tuum resurrexisse, quàm de cruce descendisse vivum.
Veruntamen, ne uspiam locorū malitia cesset, glorifis-
simam illam, &, quā salutaris nihil conferri nobis
poterat, Domini nostri Resurrectionem, haud pauci
obfuscare conantur. Milites ad sepulchrum ejus ac-
cubantes, **NON RESURREXIT**, clamant; sed est
ablatus. Ecce offam argenteam Pontificum! quā,
quicquid corrupti habebant apud se corruptissimi, in
eum evomere jubentur, qui non poterat corrumpi.
Ablatus est, inquit scelestissimi, & à discipulis quidem
suis ablati. Itane verò, qui triduo ante vivum,
deserebant, tanto cum periculo mortuum repetent?
Eamne

Eamne nunc induere fortitudinem miseri, quorum
fortissimus ad ancillæ voculam exanimatus concidebat?
Res ista altius paulò venit examinanda. Si discipuli
illud saxo clausum cadaver sunt furati, cur nemo ve-
strum, ô milites, restitit? quare omnes hoc concestis?
immò *dormiebamus*, respondent, qui ad vigilandum e-
rant constituti. Sic ita: si dormivistis, excubitores vi-
gilantissimi, quomodo fures istos clancularios vidistis?
nisi forte apertis dormita veritis oculis, prout lepores
solent. Mendacem oportet esse memorem: somnia-
stis fortè, unde somnia venditis: somniis, quid esse
mendacius solet? Illud verò, scitote, spurcissima ve-
stra in gloriosissimam hanc Domini nostri Resurrectio-
nem mendacia valitura, quod adversus solem
nebulæ valent. Æterne Sol, CHRISTE Triumphator!
per hanc commentorum nubem, potentiam tuam
magis asseruisti: non effulsisset sic veritas Resurrectio-
nis Tux, nisi mēdaciōrū eam sic caligo pressisset! Mi-
rum tamen hic est, quod & Discipuli Servatoris Resurre-
ctionem negare non vereantur. Thomas ex-
pressè, *nisi videro*, inquit, *in manibus ejus vestigium cla-
vorum, & mittam digitum meum in vestigium clavorum,
& mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Ast
veniā dignos hosce judicas, mitissimè JESU, quod
non perfidiæ pernicies ipsos habeat, sed incredulitatis
tantum crassities premat. Cerne manus, Thoma, trans-
fixas,

fixas, cerne latus transtossum, corpus universum
contrecta, & videbis sentiesq; ipse, quod credere ha-
ctenus detrectasti. De iis quid dicendum erit, qui
non corpus tantum CHRISTI tangunt, sed & sub-
inde comedendū, & sanguinem ejus bibendū sumunt,
& tamen Resurrectionem ejus malitiosissimè negant?
Illud enim adeò hodiè frequens est, ut quoquo ani-
mum, aures, oculos flectas; minimos, medioximos,
maximos, **NON RESURREXISSE CHRISTUM,**
debachantes deprehendas. Scilicet, si caput nostrum
crederent surrexisse, & ipsi ad Resurrectionem aliquã-
do adspirarent. Sed impossibile est, sic vivere posse,
quemadmodum passim vivitur, & aliam vitam expe-
ctare. *Non resurgemus, inquit Apostolus, ad vitam, si
non commorimur, non conglorificabimur, si non compati-
mur, non coregnabimus, si non simul susinemus.* Quid
enim? **CHRISTUS** in doloribus, nos in delitiis vive-
mus? Illius erunt sputa, spinæ, flagra; nostrum erunt,
non dicam mentæ, risus, joci, voluptates, gaudia, ho-
nores; sed injustitiæ, iniquitates, odia, simultates, frau-
des, latrocinia, bella, cædes? Quamdiu tam fatuis
consiliis insistemus? Humiliavit semetipsum **CHRIS-
TUS**; nos extollimur, & quicquid humanitatem sa-
pit, detestamur. Vanissimi sumus, si promissa affectamus
præmia, & quicquid præmittendū est officii, detrecta-
mus. Cerrus & indubius sermo est, quemadmodū **CHRIS-
TUS**

STUS resurrexit à mortuis, per gloriam Patris, ita & nobis in novitate vitæ esse ambulandum. *Vetus etenim homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.* Præclarum, prorsus est, notatuq; maximè dignum, quod de Josiâ Regum Fasti produnt. Præcepit, inquit Sacer Historicus, Josias omni populo, facite Pascha Domino DEO vestro, nec enim factum est Pascha tale à diebus judicum, & omnium dierum Regum Israëli, & Regum Juda, sicut in octavo decimo anno factum est Pascha istud Domino in Jerusalem. *Sed & Pythones, & harios, & figuras idolorum, & immunditias, & abominaciones, quæ fuerant in terrâ Judæ & Jerusalem, abstulit Josias, ut statueret verba legis.* Hoc idem est, quod epulari Apostolus vocitat, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ aut nequitæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis. **AMANTISSIMI MEI**, sat diu fermenti acorem impatientia nostra, fastus, pigritia, & invidia pani nostro incoxerunt: nunc azymos patientiæ, humanitatis, piæ solertiæ, spiritualis lætitiæ, divinæ charitatis comedamus. Expergiscere, quisquis dormis, & surge à mortuis, & sic demum, qui **SURREXIT hodie, CHRISTUS** tibi illu-

cescet!

P.P. sub Sigillo Rectoris.

d. XI. April. M. DC. LXIX.

